

sariis indictum est famosis ac seditiosis vulgatis libellis, quibus illi personati homines fidem nostram in recudendo Augustino atque doctrinam suspectam reddere conantur.¹ his visis ac perlectis commune omnium fere prudentium virorum consilium erat, ut . . . , pro virili susceperint.² Editae sunt hac de re tres scriptiunculae, duae gallicè in Galliâ, tertia Romae latine permissu et consensu magistri sacri palatii, certo quodam veluti praeiudicio concedendae nobis in Vrbe Apostolicae protectionis aduersus Augustinianae editionis seditiosos illos infamatores, qui totam Romanam curiam suis clamoribus ac conuiciis in nos, sed incassum sparsis, impleuerant. Verum cum nihilominus eorum virus sensim serperet in quorundam animos, consilium tandem mutare visum est, et occurrere inualescentibus criminationibus, quibus famosi illi auctores incautorum animos occupare moliuntur, ut nos, id est totius congregationis nostrae monachos, quasi reos, aut saltem suspectos nouae haereseos traducant.

(Res ita se habuit.)

Iam fere decem anni effluxerant, ex quo noua haec editio absoluta in lucem prodierat, ab omnibus, id est ab Episcopis, Doctoribus, ac Theologis, vniuersisque ordinibus visa et perlecta, nisi fortè a quibusdam, qui eam non probari sua interesse putabant, cum emersit è tenebris quidam libellus subfucatus nomine Abbatis cujusdam Germani, cuius libelli author³ hanc editionem ejusque authores Benedictinos traducere conatur, multaue errata sanae aduersa doctrinae, se in ea deprehen-

¹ Mabillon fügt den Satz: ‚Res ita se habuit‘ ein, streicht ihn aber wieder weg, um ihn unten zu verwenden.

² Vgl. Migne, Aug. I, p. 18. Hinter dem Worte ‚susceperint‘ schaltet Mabillon die folgenden Sätze ein: ‚Verum succrescentibus in dies (hic et inde) libellis, cum altercationes longius procederent, et ex levioribus velitationibus jam in apertam tantum non seditionem verterent, utrique parti silentium indixit Rex, pacis Ecclesiae non semel patratior; eoque pacto novam Sancti Augustini operum editionem ab iniqua censura et criminatione vindicavit. Etsi vero hoc bellum, regia auctoritate sic compressum, denuo instaurare nobis religio fuerit: nobis tamen licere arbitramur, intacta pacis condicione, pacatis animis, nostram in edendo Augustino fidem hoc in limine asserere, et lacessita novae editionis capita ab iniquis (censuris) vindicare‘.

³ Mabillon corrigiert ‚author‘ zuerst in ‚scriptor‘, dann in ‚conditor‘.